DE LUCIANO
POETARUM JUDICE ET IMITATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

ERNESTUS ZIEGELER
MEYENBURGENSIS

GOTTINGAE.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA HOFERIANA.
MDCCCLXXII.

H. G. PLASSIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Omissa priore dissertationis parte, in qua, quid Lucianus de poesi universa judicaverit, a nobis expositum est, hoc loco alteram emittemus, ea diligenter enarraturi, quae de singulis poetis Lucianus judicaverit, adjectis poetarum locis, quibus ad scripta sua condecoranda usus est. Cumque acta agere nollemus, non enumerandos censuimus eos versus, qui accurate collecti leguntur in Indice editionis Jacobitzianae (vol. IV. p. 271 sq.) ad quem hac data occasione eos delegamus, qui omnes locos a Luciano citatos cognoscere cupiant. Contra a nobis quanta fieri potuit assiduitate collecti sunt et omnes Homeri versus in libellis Lucianeis memorati et res e comoediis desumptae, qua utraque in re Indices Lucianei, quales nunc sunt, minime sufficiunt. Versus Homericos non in medium textum quem vocant inseruimus, sed ad operis calcem rejecimus.

---

§. 1.

Initium, ut par est, faciendum ab Homero: quem quidem a Luciano non minus quam a ceteris omnibus Graecis literarum Graecarum fontem omniumque poetarum longe praestantissimum habitum esse elucet e loco qui est in Jov. Trag. 39. Inprimis memoratur a Luciano ejus sapientia (*σοφία*: Merc. Cond. 25), dein non uno loco ejus gravitas, ad quam indicandam hisce vocibus utitur Lucianus: *μεγαλόφρων Ὅμηρος* (De Hist. 57), *μεγαληγορεῖν* (Sacrif. 9), *μεγαλοφωνότατος τῶν ποιητῶν* (Musc. Encom. 5). Vim illam prorsus mirandam, quam exhibet Homerus in describendis procellis mare infestantibus, Lucianum bene sensisse ostendit Charon c. 7, quo tamen loco ludicris, ut assolet, jocis judicium suum quasi involvit. Porro epitheta illa Homerica, quibus res aut personas tam vivide depingit magnus poeta, ut oculis eas cernere nobis videamur, cum laude attinguntur Imag. 8. Prorsus egregius est Homerus in rebus praedicandis, nunquam justos laudandi fines transgressus: Pro Imag. c. 20.

Paucis enarrentur ea, quibus Lucianus et sui et prioris temporis criticos in Homerum summa industria incumbentes perstringit. Scriptor igitur noster, qua erat ingenii indole atque natura, vanas inutilesque duxit quaestiones illas de Homeri patria, num caecus fuerit

poeta, utrum carmen prius composuerit, quid judicandum sit de Iliadis initio[1]; postremo Zenodoti et Aristarchi disciplinam sugillat, frigidos homines dicens eos, qui de singulis versibus aut tollendis aut retinendis disputent: cf. de his omnibus Ver. Hist. II. 20. Simili ratione in Pro Im. 24 neque eum, qui Homeri imaginem verberaverit, neque illum, qui obelis versus quosdam transfigere ausus sit, quicquam decerpere potuisse dicit de corona „semper florentis Homeri.“ — Ex his, quae modo exposuimus, intelligitur, etiam Luciani aetate satis magno quidem studio quaestiones Homericas a permultis tractatas esse, ex altera tamen parte illa studia omnino contempta et pro futilibus habita esse ab eis, qui, cum in vulgatis erroribus manere mallent, a Fr. A. Wolfio[2] superstitionis cujusdam patroni jure appellati sunt. — Deinde certissima conjectura assequi possumus, illo quo diximus tempore opiniones eorum grammaticorum qui vocantur *οἱ χωρίζοντες*, Xenonis dico et Hellanici, prorsus neglectas paene iam evanuisse: nam si eas compertas habuisset Lucianus, quî potest dubitari, quin loco maxime apto qui est in Ver. Hist. 11. 21 jocos aliquos in illos effudisset?

Postremo addendum, duobus Luciani locis commemorari Margiten a veteribus Homero tributum, ita tamen, ut dijudicari non possit, utrum ipsum carmen legerit Lucianus, an e proverbio nomen ejus cognoverit. In proverbium enim abiisse Margitae stultitiam docet Apostol. XI. 4 (Paroem. Gr. ed. E. de Leutsch et Schneid. vol. II. p. 517); alia praebet Welcker: Kl. Schr. IV. p. 30.

---

1) Cf. Fr. A. Wolfii Proleg. ad Homerum p. CXXIV not. 90.

2) Wolf. l. c. pag. XXXI. De criticorum litentia a multis reprehensa cf. ib. pag. CCXXXV.

Nec non de Hesiodo compluria judicia Lucianus scriptis intexuit. Est ille poeta egregius (*ποιητὴς ἄριστος*: Diss. c. Hes. I), suntque ejus carmina divino spiritu inflata (*ἔνθεα καὶ σεμνὰ πάντα* l. c.) In narrando certamine poetico (Ver. Hist. II. 22), ex quo Hesiodus, cum Homero conflictatus, victor excedit, Lucianum veterem quandam fabulam sequi, iam prius ab interpp. l. c. est observatum; add. Curtius: Gr. Gesch. I³ p. 508. — Quid? quod ejus Theogonia digna habetur, quam in deorum convivio Musae canant: cf Icarom. c. 27.

At qui fit, ut Lucianus, cum tot tantisque laudibus hosce poetas afficiat, haud paucis locis vel acerbissimam eorum reprehensionem suscipiat? Cujus rei si quis veram caussam perspicere cupit, duae res in memoriam revocandae sunt: scriptorem quem tractemus inimicissimum fuisse vulgarium de deis opinionum, deinde eis ipsis temporibus, quibus vixerit Lucianus, istas superstitiones nova cepisse incrementa [1]. Quid igitur mirum, quod Lucianus aliquotiens in eos poetas invehatur, quos jure illarum rerum auctores habebat? Praecipue attendendum est ad verba quae leguntur in Philops. 2, ubi scriptor se dicit, quamvis miretur eximios illos poetas (*θαυμαστοὺς τὴν φύσιν* et *ἀοιδίμους ἄνδρας* eos praedicat), tamen non posse, quin pudore commoveatur legentem fabulosas istas de deis excogitatas narratiunculas, quas usque ad praesens tempus permulti veras ducant, inculti maxime homines, *ἰδιῶται* (De luct. 2), sed interdum vel ei, qui philosophi nomen prae se ferant: cf. Iup. Trag. 39, quo quidem loco postquam Timocles Stoicus Homerum attulit testem veri-

---

1) Cf. Bernhardy: Grundr. der Gr. Lit. I. 579. Preller ap. Pauli Realenc. IV. p. 1172 sq. Hertzberg: Gesch. Griech. unt. d. Röm. II. 486.

tatis, respondet ei Damis Epicureus — cujus sub persona ipse Lucianus nobis videtur latere —: *ἀλλ' ὦ θαυμάσιε ποιητὴν μὲν ἀγαθὸν Ὅμηρον γεγενῆσθαι πάντες σοι ξυνομολογήσουσι, μάρτυρα δὲ ἀληθῆ περὶ τῶν τοιούτων οὔτε ἐκεῖνον οὔτε ἄλλον ποιητὴν οὐδένα.* Prorsus eandem sententiam hi loci produnt: Apol. 8. sq. De Luct. 2. Necyom. 3. Gall. 2. Ver. H. 11. 12. 13. Jup. cf. 1. 2. Sacrif 1 sq. Diss. c. Hes. 1 sq. Saturn. 5. 6. Haec recte a nobis disputata esse docent ea, quae de pictura et arte statuaria a Luciano exposita congessit Bluemnerus Arch. Stud. z. Luc. p. 48: qui quidcm vir doctissimus clarissime demonstravit, Lucianum, quamvis magno studio et admiratione amplectatur illas artes, tamen eas rejicere, ubi falsas rerum divinarum opiniones stabilire videantur. Hoc igitur semper tenendum, Lucianum, ubicumque Homerum Hesiodumque castiget, nil de laudibus eorum poeticis detrahere, sed fabularum, quas praebeat Homerus, fidei sese opponere. Neque unum ita sensisse Lucianum, verum potius complures viros graves ac vere religiosos Homerum impietatis incusasse propter tot — ut ipsi dicebant — mendacia, ostendit Fr. A. Wolfius l. c. CLXII, qui quidem haud exiguas laudes illis viris impertiendas esse rectissime censet.

Ex posterioribus poetis epicis Antimachi Colophonii unum versum citat Lucianus in Ver. Hist. 11. 42, ita tamen, ut, quid de ejus poetae genere dicendi judicaverit, simul indicet. Lucianus igitur, mira illa itinera, quae in Ver. Hist. describuntur, cum sociis compluribus suscipiens, cum delatus esset ad eam maris partem, quae densis arboribus consita navigationem quam maxime impediret, cumque omnes dubii, quo se verterent, haererent, consilium se cepisse narrat, navigio in altum sublato super ipsas arbores vehi, velis vento

datis. Pergit deinde sic fere: „Haec dum fiunt, in memoriam mihi rediere illa Antimachi

Τοῖσιν δ᾽ ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισι.“

Ad haec explicanda rectissime Stollius in libello qui inscribitur „Antim. reliquiae“ (Dillenb. 1845) s. fragm. 74 attulit Schol. ad Nicandr. Ther. 295, quo Nicandri loco cum vox *πλόος* de itinere terrestri usurpata esset, scholiasta addidit, interdum eum usum apud seriores scriptores deprehendi. Lucianus autem de industria non respiciens totius loci Antimachei nexum, cum versum illum ita afferat, ut Antimachus navigationem per silvas factam indicare videatur, aperte irridet quaesitum dicendi genus Antimachi praefracte et obscure loquentis: qua de re plane consentit Lucianus cum Dionys. Halic. (De Comp. verb. vol. V. p. 150 R), a quo ejus dictio judicatur *ἄναρθρος, ἐν πολλοῖς ὑπεροπτικὴ τῆς ἀκολουθίας, ἥκιστα ἀνθηρὰ, μεγαλόφρων, αὐθέκαστος, ἀκόμψευτος, τὸν ἀρχαϊσμὸν καὶ τὸν πίνον ἔχουσα κάλλος.*

§. 2.

Ex poetarum lyricorum numero Archilochi uno tantum loco mentionem facit Lucianus, quamquam, quid de ejus indole ae vi poetica senserit, satis clare ex illis verbis cognoscimus. In Pseudolog. igitur c. 1. 2. Archilochus semper summa dicendi libertate usus esse dicitur, nunquam carminum acerbitate cessans, etiamsi adversarios vel maxime laedere videbatur, verum ubi aliquis ei respondere audebat, eo acrius in eum invehebatur. Digna haec sunt, quae conferantur cum Quintiliani verbis libr. X. 1, 60. — Deinde nescio an recte judicaverit Schneidewinus (Philol. 1846 p. 363), versum qui est in Luc. Scyth. c. 9 Archilocho tribuens, cum

et leges grammaticae et metricae cum Archilochi usu mire conspirent. Quamquam rem plane ad liquidum perduci posse nolim affirmare.

Stesichorum Arionem Anacreontem Lucianus in Ver. Hist. II. 15. facit cum Eunomo [1]) Locrensi *ἐξάρχοντας* chori in insula beatorum instituti: qua ex re illos poetas a Luciano quasi principes ducesque poesis melicae habitos esse jure conjicias. Deinde verbo saltem dicendum de Luc. Dial. [Mar. VIII. 2, ubi Arion, multum per tempus in Periandri aula versatus magnasque opes nactus, consilium iniisse narratur redire *οἴκαδε εἰς τὴν Μήθυμναν*, cum reliqui omnes, qui miram ejus navigationem tradunt [2]), non Corintho Methymnam, sed ex Italia Corinthum eum profectum esse referant. Equidem ut libere quae sentio proferam eos non recte judicare existimo, qui Lucianum ex alio quodam fonte hausisse putantes hoc loco usi sunt ad hymnum Arionis ab Ael. Hist. An. XII, 45 servatum in suspicionem vocandum [3]), sed potius crediderim errasse Lucianum, quem in tradendis nominibus interdum summam incuriam exhibuisse paucis probabo exemplis. Pro Merc. cond. 5 narratio quaedam de Cleopatra exstat, quae quidem in Pisc. 36 ad regem quendam Aegypti refertur. De Hist. 35 de Perdicca eadem narrantur, quae Icar. 15 de Salt. 58 Calumn. 14 Seleuco accidisse traduntur. De Hist. 12 Lucianus Aristobuli nomen posuit pro Onesicriti, cf. Herm. ad l. — In Dial. Mort. IX. 2 Phaon narratur ab insula

---

1) Cf. Welcker: Kl. Schr. I. p. 177 et 205.

2) Herod. I. 23 sq., translat. ab Gell. XVI. 19. Ov. fast. II. 82 sq. Plut. Sept. Sap. Conviv. 18, alii seriores.

3) Hymnum non esse Arionis persuasum habemus: sed nil colligendum esse e Luciani narratiuncula contendimus.

Chio peregrinos transvexisse, cum ceteri omnes scriptores Lesbi nomen tradant [1]). — Philippo Macedonum regi non Olynthum, ut narrat Lucianus De Hist. 38, sed Methonam obsidenti oculum a sagittario quodam percussum esse docet testium cumulus ab Hermanno coacervatus. — De Hist. 21 Ὀσρόης idem homo vocatur, quem Alexand 27 Ὀδρυάδην nominavit [2]). — Hanc nominium copiam, in quibus Lucianus neglegentia lapsus est, si quis sincere considerat, potius nobiscum in eam sententiam adducetur, ut existumet, nostro quoque loco nomina commutata esse, quam Lucianum ex alio quodam fonte nobis non servato narrationem illam hausisse [3]).

Anacreontem a Luciano magni factum esse, iam supra vidimus. Luciani tempore carmina ejus lectitata esse nos docet Symp. c. 17, ubi homo quidam ebrius versus ejus cum Pindari et Hesiodo ridiculo modo commiscet, in parodias, ut videtur, eos detorqueus, cujus rei analogiam praebent Luciani Jup. Tragoed. c. 1 et 2.

Pindari carminum longe pulcherrimum Lucianus duxisse videtur olymp. I, cf. Gall. 7 et Timon. 41, quem locum bene explicavit Tan. Faber (Not. et Animadv. in Luc. Tim., vol. I. p. 879 edit Amst.) [4]). Ex reliquis Pindari virtutibus Lucianus memorat ejus artem epitheta apte addendi: Imag. 8, porro laudationes

---

1) Cf. Welcker: Kl. Schr. II. p. 106. Lehrs: Popul. Aufs. p. 210, qui Luciani locum jure non respexit.

2) Quamquam hoc loco nescio an cum Kuhnio ad Pausan. II. 20, 6 p. 156 recipiendum sit 'Οσρόου pro 'Οϑρυάδου, cf. Fritzschium ad locum.

3) Ut Welkero videbatur: Kl. Schr. I. p. 97 not. 27.

4) Falso Moser (Programm. Gymn. Ulmensis a 1819) Aristotelis carmen ab Athen. XV 695ᵃ servatum respici putat.

ejus semper egregie comparatas: Pro Im. 19. Omnino laude dignus est Lucianus, qui legerit carmina Pindarica iam ab Eupolidis aequalibus propter nimium vetustatis colorem neglecta: cf. Athen. I. p. 3a.

Theognis duobus locis De Merc. Cond. 5. Apol. 10. 11 citatur cum reprehensione, quippe qui de paupertatis onere nimis conqueratur; quid? quod priore loco inter poetas maxime ignavos (*οἱ ἀγεννέστατοι τῶν ποιητῶν*) refertur. In reprehendendo hoc poeta Lucianus Stoicos quosdam sequitur, qui, cum illa verba in universum posita esse opinarentur, ignaviae et mollitiae crimen in Theognidem conjecere: cf. Welckeri Proleg. ad Theognid. p. LXXXV.

Poetas quosdam Alexandrinos Lucianus uno loco vituperat qui legitur in De Hist. conscr. 57, sano judicio sese opponens eis, qui illos poetas justo magis admirabantur et imitabantur [1]). Callimachum igitur Euphorionem Parthenium increpat, utpote qui quavis data occasione res obiter tangendas summa verborum copia ac molesta quadam loquacitate depingant [2]).

§. 3.

Jam ad comoediam transeamus. Aristophanem satis constat aequalibus suis multo magis placuisse, quam serioribus Graeculis, qui quidem haud pauca vitia

---

1) Cf. Suet. Tib. LXX. Bernhardy: Gr. Lit. I³ 556. Quamquam iam Cicero „cantores Euphorionis" contemptim perstringit: Tuscul. III. 19. §. 45.

2) Jure Meinekium (Euphor. fragm. p. 51) rejecisse credo Heynii (Opusc. acad. I. 93) sententiam, doctrinae copiam ab illis poetis exhibitam reprehendi loco Lucianeo.

in eo reprehendebant. Plutarchus [1]), ut unum afferam, Aristophani longe praefat Menandrum, ut qui multo politior atque elegantior sit. Contra Lucianus, etsi non ita saepe ipsum poetam memorat nec multis verbis de ejus vi poetica exponit, tanto tamen studio in Aristophane lectitando imitandoque versabatur, ut eum ex Aristophane totum pendere jure dicas. Ipsum Lucianum, quantopere ex comoedia suspensus sit, minime infitias ire complures docent loci. Dialogum enim comicum, quem a se inventum gloriatur Prom. es fin. Dion. 5, mixtum dicit esse ac conflatum ex duobus generibus, cum alia sumpserit a dialogo philosophico, quali imprimis Socratici usi sint, alia e comoedia in rivulos suos deduxerit: cf. Prom. 5 Bis accus. 33 (ubi attendendum ad verba *συγκαθεῖρξε τὸ σκῶμμα καὶ τὸν ἴαμβον καὶ κυνισμὸν καὶ τὸν Ἔυπολιν καὶ Ἀριστοφάνην*). Sed antequam ad exponendam Aristophanis imitationem a Luciano institutam perveniamus, paucos illos locos enarremus, ubi Lucianus judicium suum profert. Quorum gravissimus est in Adv. Ind. 27, quippe qui summum poetam Aristophanem a Luciano habitum esse clare ostendat. In illo igitur capite scriptor ex homine isto indocto, quem castigandum sibi proposuit, quaerit, quosnam potissimum libros perlegat; deinde optimos singularum artium auctores memorat, ex oratoribus Aeschinem, e philosophis Platonem et Antisthenem, e poetis iambicis Archilochum et Hipponactem, e comicis Aristophanem et Eupolin. Deinde locis inter se simillimis Pisc. 25. Bis acc. 33 illos poetas — quos quidem semper conjunctos commemorat — mira dicit excelluisse vi in gravissimis quibusque rebus deridendis.

---

1) Cf. Plut. Σύγκρισις Ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου (Moralia ed. Wyttenb. vol. IV) Aliter judicavit Quint. X. 1, 65.

Vides perpauca Lucianum praebere de ipso illo poeta, quem diligentissima imitatione ab eo expressum esse iam expositiuri sumus. Qua quidem in disputatione proficiscendum videtur ab imitationis certis ac firmiter stabilitis exemplis, deinde procedendum ad ea, quae, etsi minus certa videntur, tamen, ubi cum illis conferuntur, cum summa probabilitatis specie huc pertinent. In ipsis autem rebus enumerandis a singulis progrediemur ad cogitationes Aristophaneas a Luciano usurpatas.

a.

Pseudolog. 32 Timarchum hominem turpissimum dixit *κίναδος καὶ παιπάλημα*: quod sumptum est ex Aristoph. Av. 430. 431: *πυκνότατον κίναδος, . . . παιπάλημ' ὅλον*, cf. Nub. 260. 448.

Lexiphan. 24 Lucianus amicum quendam affectati dicendi generis studiosissimum jubet abjicere *τὸ βρενθύεσθαι* [1]) *καὶ λαρυγγίζειν*. Recte Cobetus: Orat. de Art. Int. 42: „*βρ*. et *λαρ*. ex prisco Atticorum sermone sumpsit, utrumque est apud Aristophanem.“ Illud legitur in Nub. 362. Pac. 26. Lys. 887, alterum in Equ. 358.

Ἀεροβατέω de semet praedicat Socrates in Ar. Nub. 225, quae quidem vox ab Aristophane conficta iterum legitur in Luc. Bis acc. 33, ubi Dialogus se dicit hucusque fuisse *ὑψηλὸν ἄνω που τῶν νεφῶν ἀεροβατοῦντα*; porro huc referendum esse apparet Prom. 6:

---

1) De voce *βρενθύεσθαι* verissime judicat Hemsterh. ad Luc. Dial. Meretr. X. 8: „eorum in classem referendum est hoc verbum, quae raro ab ipsis veteribus usurpata, quippe notae plebejae, recentioris aevi scriptores frequentius excoluerunt: id enim elegans illi atque eruditum arbitrabantur, si vocabula in angulo quodam antiquitatis remoto delitescentia et scenae libertati condonaca studiosius eruerunt.“

ἀεροβατοῦντας δεικνύουσα (*ἡ κωμῳδία*) *καὶ νεφέλαις ξυνόντας*. Nec minus ea, quae deinde sequuntur, *ψυλλῶν πηδήματα διαμετρεῖσθαι* in memoriam revocare Ar. Nub. 144 sq.:

ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης
ψύλλαν, ὁπόσους ἅλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας

iam a prioribus interpretibus est observatum.

Ran. 1300 Aeschylus se dicit imitatum esse poetas Lesbios, ne in Phrynichi segetem immitere falcem videretur:

— — *ἵνα μὴ τὸν αὐτὸν Φρυνίχῳ*
λειμῶνα Μουσῶν ἱερὸν ὀφθείην δρέπων.

Porsus eisdem verbis in Luciani Pisc. 7 Plato ad significandum Luciani genus scribendi utitur (cf. interpr. ad loc. Aristoph.): . . *σοι τὸν λειμῶνα ἐκεῖνον* (i. e. scripta nostra philosophica) *ἀναπετάντες οὐκ ἐκωλύσαμεν δρέπεσθαι* [1]).

Ar. Ran. 1106 codices exhibent *ἀναδέρεσθον τά τε παλαιὰ καὶ τὰ καινά*: quod cum corruptum putaret Bergkius, scribendum censuit *ἀνὰ δ' ἔρεσθον* i. e. exquirite. Verumtamen scripturam codicum retinendam esse docet imitatio Luciani in Pseudolog. 20, quo loco scriptor, adversarii cujusdam mala facinora narraturus se ipse interrumpit his verbis: *ἀλλὰ καὶ ἀναδέρειν αὐτὰ αἰσχρὸν ἴσως ἐμοί* i. e. „sed vel refricare et narrando renovare ista scelera turpe est", ubi dubitari nequit, quin verbum rarissimum *ἀναδέρειν* ad exemplum loci Aristophanei positum sit[2]). Hoc igitur loco accidit, ut Lucianus Aristo-

---

1) Addimus eandem imaginem ex loco Lucianeo sumptam suum in usum vertisse auctorem Charidemi c. 22.

2) Hanc argumentationem si quis evertere velit, prius ei demonstandum est, Lucianum linguae pure Graecae tam mediocriter gnarum fuisse, ut versus Aristophaneos aperte corruptos imprudenter imitatus sit.

phane idem praebeat subsidium, quod in fabulis Plautinis saepenumero ex Appulejo petendum est. Simile exemplum statim adjungemus.

Unico enim loco qui est in Ar. Av. 515 aquila Jovis avis dicitur in patris deorum hominumque capite considere:

— — ὁ Ζεὺς γὰρ — —
ἀετὸν ὄρνιν ἕστηκεν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς βασιλεὺς ὤν:

quod cum Kockio Aristophanis interpreti recentissimo plane incredibile videretur, vocem κεφαλῆς corruptum esse conjecit ex σκυτάλης vel simili aliquo vocabulo, quod in ridiculum verteret solitam notionem σκῆπτρον. Non dubitamus, quin Kockius illam conjecturam non proposuisset, si antea inspexisset Luc. Deor. Conc. c. 8, ubi Momus Jovi sic conviciatur: οὐκοῦν μηδὲ περὶ τοῦ ἀετοῦ εἴπω, ὅτι καὶ οὗτος ἐν τῷ οὐρανῷ ἐστιν ἐπὶ κεφαλήν σοι νεοττεύων θεὸς εἶναι δοκῶν; qui locus, cum apertam versuum Aristophaneorum imitationem contineat, vulgatam lectionem κεφαλῆς egregie tuetur.

Πρίνινος, quod propria significatione est „iliceus", apud Aristophanem haud raro ad res firmissimas et indelebiles transfertur, nec minus homines strenui ac validi dicuntur πρίνινοι (πρῖνος): cf. Acharn. 180. Vesp. 383. 877. 909. Ran. 859. Hunc usum, quem ceteri comici, quantum scimus, omnino fugerunt, Lucianus amplexus est in De Hist. 8, athletas quosdam vocans πρινίνους.

Piscat. 20 Lucianus se dicit minime ignorare (τὴν τέχνην) τὴν ἀπὸ τοῦ φιλο τὴν ἀρχὴν ἔχουσαν: ubi male Sommerbrodtius codicum scripturam φίλου retinuit, non attendens sumpta ea esse ex Ar. Vesp. 77 οὐκ, ἀλλὰ φιλο μέν ἐστιν ἀρχὴ τοῦ κακοῦ, quem locum primus Halmius contulit.

Τὰ ἄλφιτα ea significatione, ut sint omnino res ad vitam degendam necessariae, vere est Aristophaneum: cf. Nub. 176. Plut. 219 al. Eodem modo loquitur Lucianus: Tim. 37 *ἱκανὰ καὶ διαρκῆ ἔχω τὰ ἄλφιτα παρὰ τῆς δικέλλης*. Merc. Cond. 6 *ἐκπορίζειν τὰ ἄλφιτα*; add. Gall. 1. Jup. Trag. 48.

Lucianus in Pisc. 47 philosophos illos recentiores, qui veterum praecepta virtutis male sequantur, dicit *ἀλωπεκίας ἢ πιθηκοφόρους* i. e. homines signo vulpis aut simiae omne in tempus notatos. Rectissime iam olim Gesnerus monuit ea deprompta esse ex Aristophane, qui in Nub. v. 23 et v. 122 memorat equum *κοππατίαν* et *σαμφόραν* (cf. Luc. Adv. Ind. 5: *ἵππον κοππαφόρον*).

Σκινδάλαμοι (scindulae) ab uno Aristophane, quantum equidem scio, ad significandas leves argutias transferuntur: Nub. 130. Ran. 819. Similiter vocem usurpavit Lucianus in Diss. c. Hes. 5 *σκινδαλάμους δὲ καὶ ἀκάνθας τινὰς ἐκλέγεις*.

Cum Ar. Av. 994 *τίς ἡ 'πίνοια; τίς ὁ κόθορνος τῆς ὁδοῦ* iam prius interpretes contulerunt Luc. Men. c. 2 *τίς ἡ ἐπίνοιά σου τῆς καθόδου ἐγένετο; τίς δὲ ὁ τῆς πορείας ἡγεμών*; cf. Ran. 47.

Ar. Acharn. 125: *ταῦτα δῆτ' οὐκ ἀγχόνη*; i. e. „nonne haec res ita comparata est, ut ad laqueum me possit compellere?" Respexit haec Lucianus in Tim. 45: *ἀγχόνη γὰρ ἂν τὸ πρᾶγμα γένοιτο αὐτοῖς* i. e. „mea opulentia illos eo compellet, ut sese suspendeant."

Satis notum est omnibus illud Xanthiae servi, qualis est in Ar. Ran., semper repetentis: *περὶ ἐμοῦ δ' οὐδεὶς λόγος* (v. 87. 107. 115). Quae quidem verba

1) Longe aliter comparati sunt tragicorum loci quidam, ubi illa vox legitur: cf. Eur. Bacch. 246. Soph. Oed. R. 1374.

ter in scriptis Lucianeis leguntur: in fine Char., qui et ipse de se dicit: *περὶ Χάρωνος δ' οὐδεὶς λόγος* (cf. interppr. ad loc.), porro Fug. 28, ubi dominus servi cujusdam fugitivi cui nomen est Cantharus, exclamat: *ὢ τῆς τόλμης, ὁ Κάνθαρος φιλοσοφεῖ, ἡμῶν δ' οὐδεὶς λόγος.* Catapl. 14, ubi Micylus sutor ad Orcum delatus ex Parca quaerit: *εἰπέ μοι, ὦ Κλωθοῖ, ἐμοῦ δὲ οὐδεὶς λόγος;*

Ne tamen quis Lucianum credat in meris Aristophanis verbis imitandis substitisse, recensendi sunt loci quidam, ubi ille inventa atque cogitationes comici praestantissimi in scripta sua recepit: quo ex genere quin nonnulla iam antea afferemus, facere non potuimus.

Frequentur igitur Aristophanes, ut hilaritatem risumque Atheniensium moveret, peregrinos et barbaros sua dialecto loquentes inducit, velut Lacones in Lysistrata, Scytham in Thesmoph., Persam in Acharnensibus; add. praeterea verba dialecto Jonica prolata in Pac. 47. 48. — Hocce artificium Lucianus imitatus in Vit. Auct. 3. 13 Pythagoram Heraclitum Democritum, in De Dom. 20 Herodotum ionice disserentes facit.

Acharn. 910 sq. Nicarchus sycophanta ridiculam ob caussam se minitatur accusaturum esse Boeotum, quippe qui consilium ceperit, Atheniensium navalia incendere. Simili nixus argumentatione Demeas rhetor in Luc. Tim. 52. 53 in jus vocaturus est Timonem, a quo arcem incensam esse mentitur [1]. Comparandus praeterea sycophanta in Arist. Plut. 948 sq.

In Luciani Piscat. philosophorum clarissimi inducuntur, qui quidem ex Orco ascendentes Lucianum ob

---

1) Similia e comoedia aliqua nobis videtur duxisse Alciphr. I. 32, 3 ed. Seiler.

philosophiae irrisionem poenis gravissimis affecturi sunt. Fugientem persequuntur clamitantes: *βάλλε βάλλε τὸν κατάρατον ἀφθόνοις τοῖς λίθοις . . . παῖε τὸν ἀλιθήριον* et quae sequuntur. Haec omnia ex Aristophanis comoediis expressa sunt, ubi similia frequenter aguntur: cf. Acharn. 280, quo loco Acharnenses Dicaeopolin insecuti exclamant *βάλλε βάλλε . . . παῖε πᾶς τὸν μιαρόν*. Equ. 247 sq.: *παῖε παῖε τὸν πανοῦργον*; add. Nub. 1508. Av. 365.

Jup. Trag. 21 Momus, summa cum libertate Jovem ob injustitiam ac bonorum neglegentiam reprehendens, libertatem, quam expromit, sic excusat: *μόνοι γὰρ ἐσμεν καὶ οὐδεὶς ἄνθρωπος πάρεστι τῷ συλλόγῳ*: quae ubi contuleris cum Aristophanis versibus celeberrimis (Acharn. 504. 505):

αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών,
κοὔπω ξένοι πάρεισιν,

haec Luciani ante oculos versata esse infitias non ibis, praesertim cum ipsa paene verba conspirent. Insuper cf. Thesmoph. 472.

In Luciani Epist. Saturn. 31 Saturnus divitibus nuntiat, pauperes a se petivisse, ut ditiores juberet aliquantulum argenti in eos effundere, qui inopia premerentur. Verba sunt: *τοῦ χρυσίου ὀλίγον ἐπιστάξαι αὐτοῖς* (*ἐκέλευον ἀναγκάσαι ὑμᾶς*). Comparatur igitur aurum cum melle guttatim alicui instillato: quod simile ex Aristophane suo sumpsit Lucianus. Versus est Acharn. 1034 *σὺ δὲ . . . μοι σταλαγμὸν εἰρήνης ἕνα . . . ἐνστάλαξον*.

In Ver. Hist. II, 9 describitur certamen Alexandri atque Hannibalis in Orco obortum, cum uterque se putet throno, fortissimi in honorem exstructo, dignum esse. Rectissime haec cum Aristoph. Ran. 764 Kockius contulit; neque enim dubium est, quin certamen illud

Euripidis cum Aeschylo susceptum Luciano ante oculos observatum sit. Eadem res a Luciano in Dialog. Mort. XII latius narratur.

Deinde in Luc. Icaromenippo permulta investigari possunt, quae ex Arisophanis Pace scriptor ascivit. Trygaeus igitur ad Jovem proficiscitur, ut, quid ille de Graecis constituerit, exploret (Pax 104—106): Menippus ad idem iter mirabile se accingit, ut, quid de philosophorum placitis sit judicandum, ex ipso Jove audiat. Cumque Trygaei filia patrem interroget, qua confidentia in caelum scarabaeo vehi audeat, respondet ille (cf. v. 129. 130):

ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις ἐξευρέθη
μόνος πετεινῶν εἰς θεοὺς ἀφιγμένος:

quibuscum jure nobis videmur conferre Luc. Icarom. 10: *τούτου δὲ μοι παρεῖχε τὴν ἐλπίδα μάλιστα μὲν ἡ ἐπιθυμία, ἔπειτα δὲ καὶ ὁ λογοποιὸς Αἴσωπος ἀετοῖς καὶ κανθάροις, ἐνίοτε καὶ καμήλοις βάσιμον ἀποφαίνων τὸν οὐρανόν.* Uterque, ubi in ipsum caelum penetrant, in Mercurium incidunt, cui portarum cura commissa est: Icarom. 22. Pax 180 sq.

In Aristoph. Av. Pisthetaerus falso chresmologi oraculo, quod ille a Bacide profectum esse contendit, alterum pariter fictum quasi parodiam quandam [1]) statim opponit: cf v. 970—985, add. Equ. 997 sq. Hoc inventum Lucianus usurpavit in Peregr. Prot. c. 29. 30: quo loco postquam Sibyllae oraculum, de Peregrino colendo editum, est recitatum, responsum profertur Bacidis, qui tantum abest ut Graecos jubeat in honore habere cynicum illum, ut lapidibus eum obruendum censeat.

---

1) Cf. Moseri Comment. de parodiis Graecis ex Arist. Plutarcho Luc. excerptis p. 13.

Tum si inspicimus Luciani Timonem, permulta ad Ar. Pluti exemplum expressa esse infitiari non possumus [1]). Timon simillimus est ei homini, cujus honestas atque justitia describitur in Plut. 823—850: prius enim oppulentissimus (Tim. 7. Plut. 829) uterque paullatim ad extremam inopiam delapsus est, cum nimia liberalitate amicorum fortunis succurrerent (Tim. 47. 49. Plut. 830): qui tamen, malam referentes gratiam, postquam illi divitias perdidere, eos contempserunt seque unquam ulla amicitia cum misellis istis hominibus conjunctos fuisse negaverunt (Tim. 49. Plut. 241. 837). — Porro apud utrumque scriptorem Plutus deus caecus fingitur esse: Tim. 20. Plut. 13. 90. 403 sq.: quod tamen, cum simili ratione ab aliis poetis [2]) satis saepe ille inducatur, Lucianum nolim affirmare ex Aristophane potissimum hausisse. Verumtamen sunt alia, in quibus Lucianus ex illo pendeat. Plutus, ubi ad homines avaros pervenit, arctissimis vinculis ab eis constringitur, ut ne unquam eorum aedes deserat; de qua quidem re ipse deus et apud Aristophanem et apud Lucianum quammaxime conqueritur: cf. Plut. 234 sq. Tim. 13. Rursus ubi in homines libidinibus deditos incurrit, parasitis ac meretricibus traditus mox nudus atque verberibus caesus tanquam malus aliquis servus foras ejicitur: Plut. 242—244. Tim. 12: quibus quidem locis paene eadem utriusque scriptoris verba hîc a nobis apposita leguntur:

1) Nonnulla quaedam magna verborum copia praebet Le Beau in: Mem. de l'acad. des inscript. et bell. lettr. vol. XXX. 77—82.

2) Sufficiat unius attulisse Amphidis versus ap. Athen. XIII. p. 567f.

Aristoph.	Luc.
πόρναισι . . . παραβεβλημένος.	ἑταίραις παραδοθησόμενος.
γυμνὸς θύραζε ἐξέπεσον.	ἐξεώθει με τῆς οἰκίας (cf. c. 38).

Pluto in utroque scripto opponitur Paupertas (*Πενία*), quam personam non minus ex Aristophane videtur sumpisse Lucianus, quando quidem easdem ei tribuit partes, quibus apud Aristophanem fungitur. Inprimis notandum, apud utrumque scriptorem Paupertatem gloriari, quippe quae omnium, quibus homines fruantur, bonorum auctor sit: Plut. 469 sq. Tim. 33.

Ut Luciani Timon ex Aristophanis Pluto ita illius Necyomantia et Cataplus ex hujus Ranis pendent: quae res hisce exemplis comprobetur. In Ranis Dionysus pellem leoninam eo consilio induit, ut Orci custodibus se Herculem invictum esse persuadeat. Cui rei bene respondet Luc. Necyom. 8, quo loco Menippus se sperat simili veste indutum facilius in Orcum venturum esse. Nec non huc pertinent ea, quae Fritzsch. ad Arist. Ran. 290 doctissime attulit. In Luc. enim Catapl. 22 Micylus eodem modo ut Bacchus (Ran. 273) a Charone transvectus statim in densas tenebras incidit: cf. Catapl. 22. Empusae, quae in Ran. 290 sq. Dionysum formidolosum terret, partes mandavit Lucianus Furiae truces oculos circumferenti: c. 22.

Ultimo loco addimus, Herculem Lucianeum simillimum esse ejus, quem Aristophanes inducat. Velut in Jov. Trag. 32 deis dubitantibus, quid in homines deorum auctoritatem infringentes statuendum sit, Hercules summa ira concitatus omnes, qui aliquo modo deis infesti sint, funditus exterminandos censet. Respexisse

pro certo habeo Lucianum Aristoph. Av. 1575. 1576, ubi Hercules pari poena affici vult maleficos istos qui aërem obstruxerint. Hic porro memorandus est Jup, Trag. c. 20, ubi παρέγγραπτος [1]) deus ille dicitur, utpote qui sero ac vix legitimorum deorum agmini additus sit. Similes jocos de Herculis νοθείᾳ (sit venia graeco verbo) Aristophanes proposuit in Av. 1669. 1650.

b.

Jam accedendum ad eos Luciani locos, ubi cum magna saltem probabilitatis specie Aristophanem ab illo expressum esse demonstrari potest.

Lucianus quamquam omnes ad unum deos populares ludibrio habebat, imprimis tamen irridebat deos istos externos, qui tempore procedente semper plures in ceterorum numerum recipiebantur [2]), Sabazium dico, Corybantem, alios: cujus rei locus gravissimus est in Deor. Conc. 9, add. Icarom. 27. Priore loco Momus, ut illos e coelo depellant, ceteros deos hortatur, cf. c. 10. Jam vero cum Aristophanem in Horis [3]) simili ratione istos peregrinos ex deorum civitate ejiciendos censuisse e Ciceronis De Legib. 11, 15 [4]) eluceat, verisimile est, Lucianum in hisce rebus imitatum esse Aristophanem.

1) Cf. grammaticum in Bachm. Anekd. Gr. II. p. 326.

2) Cf. Hertzberg: Gesch. Griech. unt. den Röm. II. 266.

3) Fragmenta sunt ap. Mein. Com. Gr. Fragm. II. p. 1170 sq.

4) „Novos vero deos et in his colendis nocturnas perviligationes sic Arist. facetissimus poeta veteris commodiae vexat, ut apud cum Sabazius et quidam alii dei peregrini judicati e civitate ejiciantur.“

Leotrophidem hominem macrum et exilem Aristophanes perstringit Av. 1406, eundem Lucianus in De Hist. consc. 34, qui tamen num hujus rei notitiam ex Aristophane hauserit, incertum est ea de caussa, quod praeterea non solum Theopompus comicus (Meinecke fragm. com. II. 800) sed etiam Hermippus (ib. p. 393) illius hominis mentionem faciunt.

Prorsus idem judicandum est de verbo *σπαθάω*, quod ab Aristophane ita usurpari, ut significet „consumere, dissipare", omnes sciunt, cf. Nub. 54 [1]). Eadem vero significatio cum praeterea deprehendatur apud Diphilum in fragm. ab Athen. VII. 291ᶠ servato, dijudicari nullo pacto potest, unde usum illum didicerit Lucianus, cujus hi sunt loci: Prom. s. Cauc. 19. Gall. 29. Luct. 17. Cat. 20.

Λημᾶν κολοκύντοις in Nubib. 329 dicitur is, qui, cum ejus oculi rebus visum impedientibus impleti sint, nil omnino cernit. Locum illum leviter immutatum nescio an Lucianus imitatus sit, in libello qui est Advers. Indoct. 23 sic scribens: . . *εἴ γε μὴ χύτραις λημῶντος τυγχάνοιεν.*

'Εγχάσκω, quod proprie est „aperto ore aliquid appetere", sumpta translatione ab avium pullis cibo inhiantibus, permultis Aristophanis locis significat „deridere ac pro ludibrio habere", cf. Teuff. ad. Nub. 1436. Praeter Aristophanem nemo, ni vehementer erro, ex prioribus scriptoribus hac significatione possuit vocem nisi Eupolis in celeberrima parabasi, quam scripsit Aristophani amico, Equ. 1313: *οὐ γὰρ ἡμῶν γε στρατηγῶν ἐγχανεῖται τῇ πόλει.* Dubium igitur, uter Lu-

---

1) Recepit hunc vocis usum Alciphron Aristophanis imitator studiosissimus: cf. III. 34: *Τίμων . . , ὅς ἐκ πλουσίου σπαθήσας τὴν οἰκίαν . . εἰς ἀπορίαν συνηλάθη* et III. 50, 1. 65, 2.

ciano auctor fuerit sic scribenti: *πλούσιος ἐγένετο ἰδιώταις ἀνθρώποις ἐγχανών.* (Peregr. Prot. c. 13).

Vox *γεννάδας* etsi nonnunquam apud Platonem legitur, multo tamen saepius ab Aristophane est adhibita, cujus rei exempla praebent interppr. ad Ran. 179. Quapropter Lucianum, cui illa vox non minus in deliciis est (Alex. 41. Hist. 9. 33. Charon. 21. Dial. Mort. X. 13), eam ab Aristophane mutuatum esse fortasse crediderīs.

Hactenus de Aristophane: praeter quem ex antiquae comoediae poetis Eupolin a Luciano tribus locis (Pisc. 25. Bis acc. 33. Adv. Ind. 27) commemorari, et ita quidem, ut ejus nomen semper cum Aristophanis jungatur, jam supra a nobis explicatum est: qua ex re illorum indolem fere parem a Luciano esse judicatam clare apparet. Easdem enim virtutes Lucianus existimavit inesse in Eupolide, summam praecipue in deridendis vel gravissimis hominibus vim comicam [1]. Fabularum ejus solae *Βάπται* nominatim attinguntur in Adv. Ind. 27: qua comoedia juvenum quorundam libidines pravaque facinora explosa esse Lucianus illo quem protulimus loco confirmat.

Multo rarius m e d i a e c o m o e d i a e scriptorum Lucianus mentionem facit. A l e x i d i s nomen extat in Pro Laps. 6, ubi versus ejus ex incerti nominis comoe-

---

1) De Eupolidis acerbitate paene nimia disputavit Meineke: Hist. crit. p. 109.

dia depromptus [1]) citatur. Praeterea uno saltem loco Lucianum imitatum esse Alexidem demonstrari posse credo. In fragmento enim leporis pleno quod servavit Athen. VI. 224[f] Alexis homines quosdam fastidiosos dicit

. . . *τὰς . . ὀφρῦς*
ἔχοντας ἐπάνω τῆς κορυφῆς.

Simili dicendi ratione Lucianus ad indicandam summam qua quis inflatus est superbiam in Dial. Mort. X. 9 utitur: rogante enim Menippo: *βούλει μικρὸν ἀφέλωμαι καὶ τῶν ὀφρύων;* Hermes respondet: *μάλιστα· ὑπὲρ τὸ μέτωπον γὰρ καὶ ταύτας ἐπῆρκεν* [2]).

Quamquam igitur perpauca tantum e media comoedia desumpta in Luciani scriptis indagare possumus, graviter tamen decipietur is, qui illum non multum curasse comoediam mediam putaverit. Haec enim cum in tribus potissimum rebus pertractandis versaretur, in poetis et vivis et prioribus recensendis, in vulgi superstitionibus refellendis, in philosophorum ineptiis et vana ostentatione irridenda [3]), cumque Lucianus prorsus eadem argumenta scriptis suis illustraret, haud sine aliqua veritatis specie possis conjicere, permulta Lucianum e mediae comoediae poetis hausisse, quae tamen, cum nil habeamus nisi fragmenta lacera ac disjecta, nunc nullo pacto accuratius investigare licet [4]).

---

1) Fragm. inc. XXXIII. Mein.

2) Hunc ni fallor locum Amorum auctor respexit c. 54: *μετεωρολέσχαι δὲ καὶ ὅσοι τὴν φιλοσοφίας ὀφρὺν ὑπὲρ αὐτοὺς τοὺς κροτάφους ὑπερήρκασι.*

3) Meineke Hist. crit. 278. 285. 287 sq.

4) In Antiphanis *Διδύμοις* (Mein. III. p. 45), ut nonnulla afferamus, plane eaedem cogitationes atque in Luciani Parasito leguntur: quapropter hac vel simili aliqua fabula scriptorem usum esse jure mihi videor concludere. Cf. fragm. Alexidis ap. Mein. III. p. 433.

Ex novae comoediae poetis Lucianus primum citat Philemonem, incertae fabulae fragmentum afferens in libello qui inscribitur Calumn. c. 6[1]). Menandri comoedias Lucianum diligenter lectitasse atque imitatum esse[2]) uno saltem loco clarissime potest evinci. Etenim in Pseudolog. c. 4 Lucianus, ut in convincendo Timarcho homine impudentissimo atque stultissimo bono utatur successu, in auxilium vocat Elenchum his verbis: *παρακλητέος ἡμῖν τῶν Μενάνδρου προλόγων εἷς ὁ Ἔλεγχος*; deinde postquam Elenchum hortatus est ad partes susceptas fortiter tuendas, Timarchi impura selera eum aperientem inducit. Idem Elenchus prodit in Pisc. 17 sq., Lucianum in refuntanda veterum philosophorum criminatione adjuturus. Rectissime iam Bentlejus[3]), quo erat ingenii acumine, *Ἔλεγχον* fuisse „Prologum sub dei specie ab Elencho narratum“ vidit. Contulit cum hoc prologo Bentlejus Arcturum, qui in Plauti Rudente proloquendi officio fungitur; melius, ni fallor, afferre poterat Trinumum, cujus in prologo Luxuria cum Paupertate in scena se exhibet. Cui tamen Menandri comoediae ille inservierit, plane ignoramus, ita ut accurate dici non possit, num praeterea quaedam Lucianus ex ea fabula hauserit.

Alia quae Lucianus e comoedia nova mutuatus est si quis cognoscere cupit, Plautus et Terentius novae

---

Diodori ib. p. 543 sq. Quamquam similia in nova comoedia aliquotines tractata esse constat, cf. fragm. Nicolai ap. Mein. IV. p. 579.

1) Cf. Mein. IV. p. 56.

2) Virorum doctorum nomina, qui primi hance rem perspexerunt, vid. ap. Meinek. in Menandr. et Philemonis Reliqu. (Berol. 1823) praef. p. XXXV.

3) Emendat. in Menandr. et Philem. p. 460, pone Meinek. Men. et Phil. Reliqu.

comoediae imitatores in auxilium vocandi sunt. Lucianus in Fugit. 19 philosophos quosdam ait impudenti adulatione longe superare Gnathonidem et Struthiam, add. Tim. 45 sq., ubi ipse Gnathonides inducitur. Ex his Struthias in Menandri Colace tam egregias parasiti et adulatoris partes egit, ut nomen ejus in proverbium abiret [1]). Gnathonis (non quidem Gnathonidis) nomen in Terent. Eunucho esse omnes sciunt.

In Luc. Gall. 14 homo quidam, cui nomen Simon vel ut ipse mavult Simonides [2]), postquam repente ex pauperimo dives factus est, summam arrogantiam prae se ferre narratur; quibus dictis additur: *τὸ δὲ μέγιστον, ἤδη καὶ ἐρῶσιν αὐτοῦ αἱ γυναῖκες, ὁ δὲ θρύπτεται πρὸς αὐτὰς καὶ ὑπερορᾷ καὶ τὰς μὲν προσίεται καὶ ἵλεώς ἐστιν, αἱ δὲ ἀπειλοῦσιν ἀναρτήσειν ἑαυτὰς ἀμελούμεναι*: quibuscum velim conferas Plauti Mil. Glor. 60—72. 1037—1087 R. — Praecipue vero hoc loco ei Luciani libelli nobis respiciendi sunt, quos e comoediis sumptos esse multi observarunt, nemo paullo uberius exposuit [3]), Dialogos dico Meretricios. Quod quidem maxime elucet e Dialog. I. IX. XIII. XV: in quibus milites gloriosi prorsus eisdem coloribus atque in nova comoedia depinguntur. In Dial. I. miles, de quo est sermo, Acarnanus dicitur [4]), alius in Dialog. XV est Aetolus genere:

---

1) De ipsa fabula cf. Meinek. IV. p. 152. Addimus Alciphron. I. 9. III. 43. De Struthiae nomine egit Lorenz. ad. Plaut. Mil. p. 250 not. 5.

2) Tales homines magnifica ac lauta nomina sibi imponere solitos esse ostendit Theophr. Charact. XXVIII in., quem scriptorem e comoediis multa petiisse pro certo affirmare ausim.

3) Primus de hac re docte quaerere instituit Lorenz. in Exc. ad Plaut. Mil.

4) Ejusdem nationis miles est apud Alciphr. III. 16, 2: quo loco praeterea miles Maliensis (Μαλιεύς) commemoratur; add. III. 58.

quod egregie cum nova comoedia consentire, in qua isti gloriosi semper sint barbari vel semibarbari, iam a Lorenzio l. c. est observatum: cf. Plaut. Epid. I. 1, 50:

. . est Euboicus miles

Trucul. I, 1, 66:

Babyloniensem militem.

Illi cum graecam humanitatem ne extremis quidem labris gustaverint [1]), semper asperos ac feros sese exhibent, persaepe ad eam insaniam procedentes, ut amicas verberibus caedant graviaque eis vulnera infligant, *ζηλοτυπίας* stimulis agitati: cf. Luc. Mer. XV. 1: *ὁ στρατιώτης . . ἐῤῥάπιζέ με . . καὶ τοὺς αὐλούς μου συνέτριψε καὶ τὴν τράπεζαν μεταξὺ δειπνούντων ἀνέτρεψε καὶ τὸν κρατῆρα ἐξέχεεν ἐπεισπαίσας.* preterea VIII. 1: *τὸ δὲ πῦρ ὅλον ἐκ τῆς ζηλοτυπίας ἐστίν. ὥστε εἰ καί σε, ὡς φῄς, ὁ Γοργίας ῥαπίζει* e. q. s.: quibuscum conferenda sunt fragmenta fabulae Menandreae quae inscripta erat *Ῥαπιζομένη* [2]): quam pariter ad contumeliam citharistriae ex compotatione ejectae spectare Meinekius verissime judicat.

Ab amica exclusi minitari solent, fore, ut non tantum aedes ejus, a qua injuriam acceperint, funditus destruant, sed etiam ipsam puellam usque ad mortem caedant, omnes mercenarios suos quasi ad hostium arcem expugnandam adducturi: cf. Luc. D. M. IX. 5: *ἀλλὰ προλόγῳ ὑμῖν ὅτι τὸ ὕστατον πίεσθε τήμερον. — — — τοὺς Θρᾷκας, ὦ Παρμένων· ὡπλισμένοι ἡκόντων ἐμφράξαντες τὸν στενωπὸν τῇ φάλαγγι· ἐπὶ μετώπου μὲν τὸ ὁπλιτικὸν* sq.: quae si quis contulerit cum Terent. Eun. 771 sq.:

. . Símalio Donáx Syrisce séquimini!
Primum aédes expugnábo.

---

1) Terent. Hecyr. 86 sq.
2) Mein. Fragm. Com. IV. 197 sq.

v. 775:

Tu, Símalio, in sinístrum cornum, tú Syrisce in déxterum.
Cedo álios! ubi centúriost Sanga et mánipulus furum?

communi e fonte Terentium et Lucianum hausisse fatebitur. — Peregrinis in terris, ubi militiae laboribus perfunguntur, ingentes divitias corradere solent, quibus oneratis Athenas aut Ephesum se conferunt, ut voluptatibus fruantur: cf. Dialog. Meretr. IX. 1: *ἑώρακα . . αὐτὸν ἐφεστρίδα περιπόρφυρον ἐμπεπορπημένον καὶ ἀκολούθους ἅμα πολλούς.* ibid. c. 2: *ἐξήγγειλε πλοῦτον πολὺν, χρυσόν, ἐσθῆτα, ἀκολούθους, ἐλέφαντα:* quibuscum conferas Plaut. Epid. I. 1, 50:

— — miles locuples, multo auro potens.

Locus Luciani qui deinde sequitur *τὸ . . ἀργύριον μηδὲ ἀριθμῷ*[1] *ἄγειν αὐτὸν, ἀλλὰ μηδίμνῳ ἀπομεμετρημένον πολλοὺς μεδίμνους,* ad verba (cf. Lor. l. c. p. 246 not. 3) respondet versibus Plautinis in Mil. Gl. 1064 R, ubi Pyrgopolinices sic gloriatur:

— — satis habeo divitiarum,
Plus pol mi auri millest modium Philippi.

Addimus Epid. II. 2, 115:

Auro opulentus, magnus miles.

III. 4, 15.

— nempe quem in adulescentia
Memorant apud reges armis, arte bellica
Divitias magnas adeptum.

Inprimis vero insignes sunt illi milites ea re, quod res suas bellicas vana jactatione omnibus narrant suamque virtutem usque ad caelum efferunt, mendacia plane incredibilia admiscentes. Miles qui est apud

---

1) Cf. Fritzsch. ad Luciani Hermot. 11.

Lucianum in Dial. XIII. 1 sq. se narrat, fortissimo hostium duce superato, totam aciem in tantam trepidationem conjecisse, ut terga omnes verterent[1]). Similia non semel in comoedia nova leguntur, cf. Phoenicidis fragmentum (Mein. IV. p. 511), ubi meretrix quaedam de milite, quem amat, haec refert:

— *διὰ παντὸς οὗτος τὰς μάχας*
Ἔλεγεν, ἐδείκνυ' ἅμα λέγων τὰ τραύματα.

Conferenda sunt praeterea verba Pyrgopolinicis ridiculae gloriationis plena, Plaut. Mil. 13 sq. (coll. 89 sq.); nec non Epid. III. 4, 15:

— — Imo si audias:
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.

Saepenumero quidem tantum abest, ut earum quas jactant rerum ullam perfecerint, ut omnium hominum et timidissimi et stultissimi sint, qui nullo negotio ab adversariis non minus quam ab amicis fraudentur ac ludiberio habeantur. In Luc. Dial. IX. 5 Philostratus juvenis militi minas jactanti respondet: *ὡς βρεφυλλίοις ταῦτα, ὦ μισθοφόρε, ἡμῖν λέγεις καὶ μορμολύττῃ. σὺ γὰρ ἀλεκτρυόνα πώποτε ἀπέκτεινας ἢ πόλεμον εἶδες;* Hae apte conferuntur cum Ter. Eun. 785, quo loco Thais militem describit:

Sané quod tibi nunc vir videatur ésse hic, nebulo mágnus est.

Add. Plaut. Mil. 21—24. 35.

§. 4.

De poesi tragica Lucianus perpauca tradit. Ex antiquissimis poetis, Thespidem dico Choerilum Phryni-

1) Operae pretium est cum hisce conferre Alciphr. III. 36.

cum, nullum commemorat, nec Sophoclis mentionem fecisi nisi brevissime his locis: Conv. 25. Per. Prot. 3. Aeschylum in Conv. 15 poetam ἔνθεον et κάτοχον dicit, add. Per. Prot. 3. Euripidem paullo majore studio ab eo lectum esse non est mirum [1]), quandoquidem illum ex omnibus poetis tragicis longe maxime carum fuisse posteriobus Graecis satis constat [2]). Ad Euripidis Telephum fortasse referendus est locus, qui legitur in Ep. Sat. 28, ubi vestes tragicae e pannis consutae perstringuntur, cf. interppr. ad Ar. Ran. 841.

Deinde Achaei versus citatur in Pro Laps. 6. Agathonis mollities atque luxuria exagitatur in Rhet. Praec. 11.; cujus rei notitiam Lucianus haud dubie ex Aristophanis Thesmoph. sumpsit. Ridiculae Dionysii tyranni tragoediae acerbe ridentur Adv. Ind. 15: quas quidem a Luciano lectas esse ostendunt tres versus ex eis allati. Ejusdem poetae vitia in Calumn. 14 carpit.

Vides quam exigua de poesi tragica e Luciani dialogis exsculpi possint: cujus rei causam si perspicere velimus, scriptoris indoles spectanda est. Quum enim omnis gravitas atque sublimitas longe abesset a Luciani ingenio acri illo quidem at tenui et jejuno — alterum enim Lysiam quamquam in opere diverso eum possis dicere —, quid mirum, quod tragica gravitate minus commotus est animus ejus? Ea in re prorsus consentit cum Longino sic scribenti (sect. III. Egg.): . . ἐν τραγῳδά, πράγματι ὀγκηρῷ φύσει καὶ ἐπιδεχομένῳ στόμφον: quapropter multi in ea pecaut, πολλαχοῦ γὰρ

1) Locos Euripideos a Luciano citatos v. in Indice id Jacob., ubi tamen pro Pseud. 19 leg. Pseud. 32: porro ad 'Ορεστ. add. Jup. Tragoed. 33.

2). Cf. versus Philemonis servatos in Vit. Eurip. (Kirchh. praef. edit. Eur. p. IX). Quint. X. 1 §. 69.

ἐνθουσιᾶν ἑαυτοῖς δοκοῦντες οὐ βακχεύουσι, ἀλλὰ παίζουσιν. Huc accedit quod Lucianus persuasum habuit histriones in fabulis agendis omnem sanam simplicitatem cujus ille erat amantissimus, ita perdere ut spectatoribus praeberent *θέαμα εἰδεχθὲς καὶ φοβερόν* (Saltat. 27). Primo igitur loco externa histrionum species, quam in tragoediis agendis exhibent, Luciano nequaquam placet. Auro ac purpura [1]) insignes in scenam prodeunt: Necyom. 16; calceis altissimis nec non persona super caput prominenti corpus eorum effertur in magnitudinem incredibilem, quae, cum humanum modum excedat, improbanda est: Salt. 27. Simili modo pectoris atque ventris circuitus pulvillis est auctus: ib. Hoc igitur ornatu condecorati vel potius onerati in scenam procedunt, vocem modo in altum tollentes modo recipientes. Nec minus eorum cantica ferri non possunt, praesertim ubi Hercules aliquis labores suos flebiliter deplorans ab eis agitur: De salt. 27. Praeterea cum haud raro accidat, ut partes male distribuantur, quis est quin risum effundat, debilem aliquem ac mollem hominem conspiciens Herculis partes suscipientem? Piscat. 31. 33. Immo saepenumero histriones quia non satis ad ornatum, quem gestant, animos attendunt, de cothurnis decidentes plurimam ridendi materiam spectantibus praebent, fractis quas gestant personis omnique gravitate tragica sublata: Gall. 26. Rh. Praec. 12. Nigrin. 11.

---

1) Χρυσόπαστος στολή Icar. 27, cf. Welcker Prol. ad Theogn. p. LXXXVII not. 124.

§. 5.

Tragoediae longe praefert Lucianus id poesis scenicae genus, quod posteriore demum tempore florere incepit, pantonimum dico: de quo genere, ab iliis scriptoribus justo magis neglecto, quae Lucianus in libello De Saltatione [1]) tradit, operae erit pretium breviter enarrare [2]). In omni pantomimo peragando tres potissimum in scenam prodeunt: primum actor (ὀρχηστής), qui quidem id unice studet, ut saltatione gestuque fabulam quae agitur exprimat: c. 62. 63; deinde chorus, qui lyrica quaedam carmina (μέλη c. 72) cantans omnia ea, que histrio exhibet, spectantibus nuntiat: c. 63; postremo accedunt musici, ad quorum symphoniam choro canendum est. Haec tria paullo accuratius excutienda sunt. Ipse igitur actor persona indutus procedit, et ea quidem pulcherrima, non, sicut in comoediis, hianti ac ridicule contorta: quae quidem persona, cum ad similitudinem hominis, qui inducitur, facta sit, cum alia commutanda est, si quis alius in scenam procedit: c. 66. Quali habitu ornati fuerint saltatores, e Luciano non elucet, nisi quod c. 63 vestis Serica eis tribuitur. Solos viros saltandi officio functos esse docet c. 28. 67 ex: qua quidem re pantomimi a mimis distant, in quibus feminae frequentes conspiciebantur (cf. Cic. Phil. II. 22. 24. 25. 27. 39). — Multarum rerum scientiam Lucianus ut saltatores habeant poscit: ut omnium

1) Hunc dialogum Bekkerus, priores nescio quos interpretes secutus spurium judicavit: quam sententiam Dindorfius et Sommerbrodtius jure rejecerunt.

2) Hoc loco monemus, nos non id agere, ut pantomimi historiam componamus, sed ut ea, quae Luc. de illo refert, exponamus.

vicissitudinum casuumque, quos vita humana afferat, haud sint expertes; qui enim, si illarum rerum rudes sunt, accuratam vitae imaginem exhibere possunt? cf. c. 67. Cum fabulae vetustae quae sunt de deis heroibusque in scena agantur, acri studio poetas, qui de hisce rebus tradunt, lectitare debent: c. 36. Huc accedit quod ad recte vereque exprimendas illas fabulas variae disciplinae eis sunt discendae: leges musicae, rythmicae, metricae; porro ut philosophia, rhetorica, pictura, arte statuaria imbuti sint, scriptor postulat; c. 35. Cumque saltator id laboret, ut animi affectus corporis motu exprimat, corporis vires ac facultates non minus quam mentis eis excolendae sunt: c. 69. 72. Corpus ab imis unguibus ad verticem aequale et congruens sit, fugiatque nimiam proceritatem atque tenuitatem pariter atque humilitatem et adipem: c. 75. Deinde ut corpus ejus tam ad inflectendum quam ad subsistendum idoneum sit, poscitur: c. 77,

Chori partes quales fuerint, iam supra breviter attigimus. Omnes uno eodemque tempore cecinisse docet vox ὁμοφωνία, qua Lucianus eorum cantum designat: c. 68. Cavendum ne cum Sommerbrodtio putemus ex c. 30 conjiciendum esse, primo saltem tempore chori partes nullas fuisse, sed ipsum actorem et saltasse et cecinisse; qui enim cogitari potest, in tot tamque variis corporis motibus, qui semper aliquid imitationis habebant, histrionem insuper cecinisse? nec quidquam de hac cantandi saltandique conjunctione in pantomimis postea resoluta apud ceteros scriptores traditur. Nos potius illa verba, cum generaliter sint dicta, referenda censemus ad eandem rem, quam Livius VII. 2, 9 tradit.

Chorum canentem prosequitur non unum aliquod organum, sed variorum instrumentorum concentus: qua-

propter pantomimum Lucianus *ποικίλον τι καὶ παναρμόνιον καὶ πολύμουσον* dicit: c. 7. 68. 72. Ab eodem haec organa memorantur: tibia (c. 2. 63. 68. 72. 83), cithara (c. 26), syrinx (63. 68), cymbalum (68. 72)[1].

Argumenta, quibus pantomimorum scriptores utuntur, et ex fabulis vetustis et ex historia desumi possunt, dummodo *μιμητικόν τι* habeant. Quare in argumentis inde a c. 37 recensendis Lucianus pariter ea memorat, quae soli comoediae, quam quae tragoediae videnter convenientia esse. Nec tamen ultra finitae liberae rei publicae tempora poetas in eligendis argumentis procesisse ostendit c. 37: cujus rei caussa in eo posita videtur, quod imperatorum Romanorum fata factaque non poterant attingi, nisi cum exitii periculo.

Itaque cum pantomimi jucundissimam tam oculorum quam aurium oblectationem praeberent, non mirum, quod illo tempore omnibus summis in deliciis erant magnoque studio spectabantur. Interdum spectatores, rem aliquam commiseratione dignam in theatro adspicientes, effusos esse in lacrimas videmus ex c. 79. Contra haud raro eosdem in diversas partes abiisse, aliis hunc aliis illum saltatorem praeferentibus, satis dilucide monstrat c. 84, quo loco vocabulum quod est *στασιῶται* respondet Francogallorum „claqueurs“. — Nec tantum in urbe, verum etiam in Jonia (c. 79), in Ponto (ib.), Antiochiae (c. 76) pantomimi placuere. Multi viri docti, ut hujus artis originem atque progressus literis mandarent, summo opere studuerunt: c. 33.

His expositis breviter quaeramus, num ea secundum rerum veritatem a Luciano relata esse videantur.

---

1) Lyra ex Ov. Remed. Am. 753 addi potest.

In omnibus eis, quae tradit de origine [1]) pantomimi, de chori saltatorumque partibus, de fabularum argumentis, prorsus fidem ei habendam esse docent loci a Grysaro [2]) ex aliis scriptoribus collati. Aliter res comparata est in eis, quae de pantomimorum dignitate et utilitate summa cum laudatione exponit. In quibus non semel fidem ei abrogandam censemus [3]). Primum scriptor justo magis celebrat organorum concentum, quem quidem pulcherime inventum et constitutum dicit: at istam *παναρμονίαν* potius pravam quandam aurium titillationem, quam vere pulchram symphoniam fuisse et Ovidii versus antea allatus docet et ipse Lucianus facit ut videamus; Crato enim philosophus, quem disputantem inducit, ista omnia mera *κρούματα καὶ τερετίσματα* dicit: cf. c. 2. Porro quisque facile in eam sententiam concedet, ut res in cap. 35 expositas magis declamationem sophisticam redolere, quam ad veritatem conformatas esse arbitretur. Similiter judicandum esse de saltatorum praestantia certum habemus: qui etsi cum comoedis tum tragoedis longe anteponuntur saepe tamen ea, quae agenda fuerint, corrupisse ipse Lucianus docet c. 80. 82. 83. Porro quantopere ex sophistarum laudandi genere hic dialogus profectus sit, ex ea re cernitur, quod de pantomimorum impudentia et turpitudine, de qua ex aliis scriptoribus satis constat [4]), Lucianus uno excepto loco (c. 83) tacet,

---

1) Quamquam quae de prima illius artis origine c. 7. 8 narrat, ad tempora fabulosa eam referens, plena sunt declamationis. Sequitur tamen Lucianus communem quandam Graecorum consuesudinem, de qua disputat Wolf. Prolog. ad Hom. p. LI.

2) Rh. Mus. 1833, 1 p. 30 sq.

3) Recte judicavit Hertzberg: Gesch. Gr. unt. d. Röm. II. p. 508.

4) Locus inprimis memorabilis est in Plin. Epist. VII. 24.

quamquam Adv. Ind. 22 se illorum mores satis compertos habuisse indicat. Caute igitur et circumspecte ei, qui aliquando artis pantomimae historiam conscribere velit, Luciani dialogo utendum existimamus.

§. 6.

His quae de variis poeseos generibus disputavimus, singula quaedam ex poetis a Luciano assumpta addemus.

Comicorum anonymorum versus a Luciano his locis citantur: Herc. 5. Musc. Enc. 11. Jup. Trag. 32. 38, cf. Mein. Fragm. IV. 563 et Suppl. ad vol. IV in vol. VI p. CCCLXIII. Non huc pertinere versum tetrametrum in Al. 25, ut opinatur Meineke, Fritzschius l. c. rectissime judicat.

Imag. 19 poeta quidam canem appellasse *λεοντοδάμαν* dicitur: fortasse Pindarus est intellegendus Eodem loco haec verba leguntur: *ἀλλὰ πῶς ἐπῄνεσε ποιητὴς εὐδόκιμος τὸν Γλαῦκον, οὐδὲ Πολυδεύκεος βίαν φήσας ἀνατείνασθαι ἂν αὐτῷ ἐναντίας τὰς χεῖρας, οὐδὲ σιδάρεον Ἀλκμήνας τέκος*; Haec e carmine aliquo victoriam celebrante ascita esse constat: sed utrum ad Simonidem (ut visum est Meinekio ad Euphor. p. 82) an ad Pindarum (cf. Jacob. ad Luc. Alex. 57) referenda sint, vix ad liquidum perduci posse arbitramur.

Calumn. 8: *μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἄμφω μῦθον ἀκούσῃς*: qui versus, etsi a Schol. Phocylidi tribuitur, vehementer tamen est dubius, cum scholia Lucianea codicibus a Byzantinis adscripta erroribus scateant. Hesiodi num sit, dubitat Muretus Var. Lect. VII c. 18.

Alex. 14 verba *δὶς τεχθένθ' ὅτε τ' ἄλλοι ἅπαξ τίκτονται ἄνθρωποι* versum heroicum efficere primus Fritz-

schius sagacissime observavit idemque illa verbea de Baccho bis nato dicta esse vidit.

Calumn. 20 *οὐδεὶς οὕτω γεννάδας ἐστι καὶ ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος*. De voce *γεννάδας* cf. p. 27. *Τεῖχος ἀδαμ. προβ.* ita usurpatum, ut indicet hominem durum ac ferreum, colorem poeticum refert[1]).

Asin. 33: *ἐπειδὴ γὰρ εἰς ἀνθρώπους ἔρῳ καὶ οἴστρῳ φέρεται . .* Verbum *ἔρος* pro *ἔρως*, unde dat. *ἔρῳ*, apud solos poetas legitur: cf. Krueg. Synt. Dial. § 21. Buttmann Ausf. Sprachl. § 56 not. 9. § 58 s. v. *ἔρος*. Nec minus poeticum est vocabulum *οἶστρος*, amoris ardentissimum furorem significans[2]). Quare versum aliquem scriptori ante oculos versatum esse crediderim.

Symp. 3: *μισῶ γάρ, φησὶ καὶ ὁ ποιητικὸς λόγος, μνάμονα συμπόταν*. Hoc equidem existumo proverbium esse, a poeta tamen aliquo postea versu inclusum, quemadmodum in proverbiis saepe fit[3]). De poetae nomine minime constat: cf. Bergk Lyr. Gr. p. 1074. Fritzschii *μισῶ* in *μισέω* corrigentis nimiam libertatem non probo: saepe enim ne studet quidem Lucianus tali in re integrum proferre versum.

Hercul. 1 *μᾶλλον δὲ Χάρωνα ἢ Ἰάπετόν τινα τῶν ὑποταρταρίων . . εἶναι ἂν εἰκάσειας*. Vocem *ὑποταρταρίων* poetarum esse patet; quem tamen Homeri aut Hesiodo versum Lucianus respexerit, ignoramus.

Calumn. 3: *ἔαδε μηνίειν καὶ βοῆς ἐνεπίμπλα τὰ βασίλεια*. Jam Guyetus haec poeticum calorem spirare vidit. Minime probamus mutationem a Valckenario in

---

1) Cf. Ennii „lapideo corde sunt multi."

2) Simili modo Plat. Rep. IX. 577e. Phaedr. 240d, ubi sic οἶστρος legitur, poetice sunt comparata.

3) Cf. Cic. Orat. § 14 cum Vergil. Georg. IV. 176.

Diatr. p. 288 propositam *ἐχαλέπαινε καὶ βοῆς ἐνεπίμπλα τὰ βασίλεια*: malam enim juncturam, quam ille in verbis traditis deprehendere sibi visus est, omnino non cernimus. Cf. Jac. ad Luc. Alex. 57.

Voces poeticae, quibus Lucianus satis saepe utitur, haec sunt: *Γοερός* = *γοώδης* flebilis, lamentabilis, „sed magis poeticum", ut in Thesauro recte additur. Cf. Luc. Luct. 13. Sacrif. 12. Phalaris I 11.

Διάτορος: „penetrans", tragicis usitatissimum. Luc. Gallus c. 1. unde assumptum est ab auctore Philopatr. c. 6.

Πρόκωπος: verbum ab Aeschylo inventum [1]. — Luc. De Dom. 30. Dial. Mar. XIV. 3.

Τερπωλή: est Homeri et Theognidis, cum pedestris sermonis scriptores usurpent *τέρψις*. — Luc. Icar. 16. Dial. Mort. XXVII. 7.

CONCLUSIO.

Restat ut quaeramus, num forte Lucianus poetam aliquem latinum aut respexerit aut imitatus sit. Quod ut recte dijudicemus, prius videndum, num omnino scriptori illi linguae latinae notitia tribuenda sit: de qua re mirum quantum viri docti inter se dissentiunt. Bernhardius enim, nulla quidem argumentatione addita, eum latine loquendi rudem fuisse dicit [2]; contra Jacob. ad Luc. Alexandr. 15 tantum abest ut illud concedat,

---

1) Cf. Todt: de Aeschylo vocabulorum inventore commentatio p. 32. Qui tamen, Lucianum permulta ab Ae. petiisse affirmans (p. 3) fallitur.

2) Grundr. der gr. lit. I³ p. 565.

ut nonnullis in rebus Lucianum linguae latinae consuetudinem imitatione expressisse asseveret. Equidem ut animi sententiam libere profitear, neutri prorsus adstipulandum, sed mediam quandam viam ingrediendam censeo. Primum e Lucianeis scriptis satis apparet, eum instituta moresque populi Romani bene cognitos habuisse: cujus rei testis nobis est egregius dialogus qui Nigrinus inscribitur, accuratam vitae morumque, quales tunc erant Romae, imaginem referens: nec non singuli quidam loci, ubi Lucianus de rebus Romanis loquitur, idem confirmant: cf. Pseudolog. 8. Alex. 30. Laps. 13. Haud breve per tempus Lucianum et Romae et in Gallia vixisse docet Nigrinus, add. Bis accus. 27 ex. Accedit quod senex in Aegypto magistratu quodam functus est, Romanos habens collegas: Laps. 13 (ubi attendendum ad verba *ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς αὐτοί*). Jam si haec omnia animo complectimur, in eam concedemus sententiam, ut Lucianum aliquam saltem linguae latinae notitiam habuisse arbitremur. Insuper loci quidam reperiuntur, ubi ipse hanc notitiam prodit. Sic in Laps. l. c. verbis *ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς αὐτοὶ* statim additur: *εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω, τοὺς προσαγορεύοντας ἀντιδεξιούμενοι τῷ τῆς ὑγιείας ὀνόματι ἀμείβεσθε*: quo loco verba *εἴ τι κἀγὼ* sq. cum gloriatione quadam, se linguam latinam bene callere, prolata esse, libenter concedet, quicumque libero judicio ea perlegerit. — Porro huc referimus De Hist. 21, ubi nomina quaedam latina enumerantur.

Scriptor aliquis latinus num a Luciano expressus sit, diu multumque quaesivi, verum frustra. Nec mihi fidem faciunt ea, quae Jacobius l. c. ad sententiam suam fulciendam protulit: quae quidem omnia, subtilius examinata, facile concidunt. Vocem *πρᾶγμα* sicut latinorum vocabulum quod est „res“ saepe apud Lucianum

paene superfluum addi affirmans fallitur homo doctissimus; in Cynic. enim c. 10 πράγματα apperte tollendum est; in Dial. Mort. I. 4, ubi πρᾶγμα et ἀπορία junguntur, ita ut πρᾶγμα pauperiem indicet, locus qui legitur apud Xenoph. in memorab. II. 7, 2 vocem illam bene tuetur, add. Soph. Aj. 314. Porro in Dial. Mort. XXI. 2. XXIII. 2. Jup. Conf. 7 πρᾶγμα cum euphemismo quodam positum est pro „morte", nedum sit supervacaneum, ut opinatur Jacobius. Nec magis recte homo doctissimus verba Lucianea quae extant in Bis Accus. 29 καινῶν δ' ὠρέχθη πραγμάτων respondere contendit Latinorum „novarum rerum esse cupidum"; novarum enim rerum cupidus dicitur is, qui eversa rei publicae conditione novam imperii formam efficere studet; contra is, qui apud Lucianum καινῶν ὠρέχθη πράγματων, nil aliud appetit nisi νεώτερόν τι. — Deinde Jacobius verba in Alex. 15 ἁπάντων τοὺς ἐγκεφάλους καὶ τὰς καρδίας προεξηρημένων respondere contendit vocibus latinis, quae sunt „cerebrum" et „cerebrosus": quod quomodo excidere illi potuerit, omnino non video: quandoquidem Latini „cerebrosum" dicunt hominem insania captum mentisque impotentem (Hor. Sat. I. 5, 21); rursus ἄνθρωπος τὸν ἐγκέφαλον ἐξηρημένος festive a Luciano dicitur homo aliquis fatuus hebesque. — Breviter igitur ut rem amplectar: rectissime mihi videtur judicasse Fr. A. Wolfius ad Hor. Sat. I. 1, 15 (Berol. 1813), tantum abesse, ut homines docti Graeci illa aetate florentes imitati sint Romanos, ut ne legisse quidem frequenter videantur [1]).

---

1) Similiter de Libanio ejusque aequalibus judicandum esse vidit Sievers in libello „Das Leben des Lib." p. 12.

1.

Enumerantur loci Homerici a Luciani metro servato citati.

Il. I 24 = Conviv. 12.
Il. I 70 = Salt. 36.
Il. I 115 = Im. 20.
Il. I 222 = Icaromen. 19.
Il I 317 = Sacrif. 9.
Il. I 423 = Prom. 17. Jup. Trag. 37.
Il. I 528 = Icarom. 33.
Il. II 46 = Piscat. 42.
Il. II 56 = Somn. 5.
Il. II 202 = Icar. 30.
Il. II 408 = Conviv. 12.
Il. II 463 = Piscat. 42.
Il. II 673 = Dial. Mort. 25, 1.
Il. III 57 = Piscat. 5.
Il. III 108 = Hercul. 4.
Il. III 157 = Dial. Mort. 18, 2.
Il. III 156 = Merc. Cond. 16.
Il. III 344 = Fugit. 30.
Il. IV 1 = Sacrif. 9.
Il. IV 262. 263 = Paras. 45.
Il. IV 447 = Conviv. 17.
Il. IV 450 = Conviv. 17.
(= VIII 64)

Il. V	127 sq.	=	Char. 7.
Il. V	293	=	Pseudolog. 27.
Il. VI	150	=	Sacrif. 14.
Il. VI	164. 195	=	Calumn. 26.
Il. VII	99	=	Jup. Trag. 19.
Il. VII	109	=	Conviv. 12.
Il. VII	312	=	Paras. 45.
Il. VIII	5	=	Jup. Trag. 14.
Il. VIII	24	=	Jup. Conf. 4. 45.
Il. VIII	103. 104	=	Herc. 7.
Il. VIII	282	=	Nigrin. 37.
Il. IX	325. 326	=	De Merc. Cond. 11.
Il. X	3. 4	=	Gall. 25.
Il. XI	5	=	Menipp. 9.
Il. XI	163	=	Menipp. 1.
Il. XI	164	=	Nigr. 18.
Il. XI	233	=	Pseudol. 27.
Il. XI	514	=	Deor. Conc. 6.
Il. XIII	775	=	Prometh. 4.
Il. XIV	1	=	Peregr. Pr. 31.
Il. XV	137	=	Jup. Trag. 44.
Il. XV	202	=	Tim 35..
Il. XVI	250	=	Icarom. 25.
Il. XVI	502	=	De Luct. 20.
(= XXII 361)			
Il. XVI	617	=	Saltat. 8.
Il. XVI	846. 847	=	Paras. 46.
Il. XVIII	104	=	Icarom. 29.
Il. XVIII	309	=	Calumn. 10.
Il. XIX	225	=	De Luct. 24.
Il. XIX	286	=	Pro Imag. 24.
Il. XX	72	=	Jup. Trag. 40.
Il. XX	227	=	Pro Imag. 20.
Il. XX	336	=	Jup. Conf. 2.

Il. XXII	262	=	Piscat. 3.
Il. XXII	495	=	De Merced. 20.
Il. XXIII	83. 84 89. 90	=	Paras. 47.
Il. XXIII	430	=	De Merc. 26. Dom. 18.
Il. XXIII	724	=	Dial. Mort. XI. 1.
Il. XXIV	602	=	Luct. 24.

Od. I	170	=	Icar. 23.
Od. IV	14	=	Pro Im. 20.
Od. IV	230	=	Alex. 5.
Od. V	47. 48	=	Salt. 85.
Od. VI	102	=	Pro Im. 25.
Od. VIII	325	=	Prometh. 18.
Od. IX	5 sq.	=	Paras. 10.
Od. IX	108 sq.	=	Paras. 24.
Od. IX	302	=	Icarom. 10.
Od. X	98	=	Icarom. 22.
Od. X	326	=	Salt. 85.
Od. XI	61	=	Menipp. 10.
Od. XI	93. 94	=	Nigr. 17.
Od. XI	305	=	Char. 4.
Od. XI	490	=	Dial. Mort. 15, 1.
Od. XII	188	=	Salt. 4.
Od. XII	198	=	Hist. 4.
Od. XVI	44	=	Pseudos. 11.
Od. XIX (= XVII 37)	54	=	Pro Im. 25.
Od. XXIII	73	=	Hercul. ex.

2.

Enumerantur loci Homerici a Luciano metro soluto citati.

Il. I	249	=	Hercul. 4.
Il. I (= V 373)	570	=	Icarom. 2.
Il. I	591. 599	=	Char. 1.
Il. II	1. 2	=	Bis Accus. 2.
Il. II	56 sq.	=	Gall. 8.
Il. II	212	=	Hist. 14. Indoct. 7.
Il. II	278. 279	=	Pro Im. 25.
Il. II	469	=	Musc. Eucom. 5.
Il. II	477	=	Hist. 8.
Il. II	554	=	Vot. 29.
Il. III	65	=	Timon. 37.
Il. III	152	=	Hercul. 4.
Il. IV	131	=	Musc. Enc. 5.
Il. IV	140 sq.	=	Imag. 8.
Il. IV (= XI 830)	218	=	Philops. 10.
Il. VIII	341	=	Icarom. 27.
Il. VI	142	=	Rhet. Praec. 11.
Il. VI	146	=	Char. 19.
Il. VI	352	=	Saltat. 85.
Il. VIII	18 sq.	=	Hist. 8.
Il. VIII	293	=	Nigr. 6.
Il. IX	576 sq.	=	Hist 57.
Il. XI	775	=	Per. Prot. 7.
Il. XIII	1 sq.	=	Hist. 49.
Il. XIII	4. 5	=	Icar. 11.

Il. XVI	642		=	Musc. Encom. 5.
Il. XVII	51	sq.	=	Gall. 13.
Il. XVII	570		=	Musc. Enc. 5.
Il. XVIII	490	sq.	=	Icarom. 16.
Il. XVIII	570	sq.	=	Saltat. 13.
Il. XIX	93		=	Imag. 21.
Il. XIX	282		=	Pro Imag. 24.
Il. XIX	407	sq.	=	Gall. 2.
Il. XX	226	sq.	=	Hist. 8.
Il. XXII	158		=	De Hist. 14.

Od. I	5		=	Philops. 1.
Od. IV	676		=	Calumn. 24.
Od. V	291	sq.	=	Char. 7.
Od. IX	84	sq.	=	Salt. 3. 4.
Od. IX	369		=	Catapl. 14.
Od. XI	305	sq.	=	Char. 3.
Od. XI	334		=	Nigr. 35.
Od. XII	173	sq.	=	Char. 21. Nigr. 19.
Od. XII	197	sq.	=	Salt. 3. 4.
Od. XVIII	198		=	Imag. 9.
Od. XIX	562	sq.	=	Gall. 6.

3.

Enumerantur versus Homerici a Luciano in parodias detorti.

Il.	III 226	=	Char. 8. ib. 9.
Od. I	950	=	Char. 14.
Od. V	450	=	Char. 14.

Il.	IX	319	
Od.	XVIII	1 sq.	= Char. 22.
Il.	II	212	
Od.	X	521. 536	
Il.	II	1. 2.	= Icarom. 28.
Il.	II	363	= Piscat. 1.
Il.	IV	234	= Piscat. I.
		(cf. Ameis Anh. z. Odyss. IV 527).	
Il.	X	378	
Il.	I	23	= Piscat. 3.
Il.	XI	131	
Il.	XVIII	507. 508	= Piscat. 41 ex.
Il.	XIII	730	= Salt. 23.
Od.	I	421	
Il.	XI	47	= Men. 9.
Od.	XIX	341	= Merc. Cond. 23.
Il.	IX	312	= Fugit. 30.
Il.	I	225	= Fug. 30.
Il.	II	202. 246. 214	
Il.	VI	181	= Fug. 30.
Il.	X	447	= Piscat. 3.
Il.	XI	233	= Conviv. 44.
Od.	I	45 (= Il. VIII 31)	= Jup. Tr. 1.
Il.	III	363. 35	
Il.	VIII	8	
Il.	XX	7	
Il.	IX	535	= Jup. Trag. 6.
Il.	II	281	
Il.	XIII	227 (= XIV 70)	
Il.	VII	195	= Jup. Trag. 34.

Ex his, quae modo a nobis congesta sunt, tria potissimum discimus:

1) et integros versus Homericos et singula verba a Luciano afferri.
2) eos versus aut ad sermonem illustrandum atque condecorandum citari metro sive soluto sive servato, aut in parodias sive simplices sive ex compluribus versibus consutas verti.
3) Iliade multo saepius Lucianum uti quam Odyssea.

Vita.

Natus sum a. d. III Non. Oct. anni h. s. IL in vico Meyenburg, ubi pater abhinc octo fere menses morte mihi ereptus sacris fungebatur. Undecim annos natus adii gymnasium Verdense, cui tunc praeerat viridi senectute H. G. Plassius. Ea in urbe septem annos versatus sum, omnes deinceps scholae classes percurrens: quo temporis spatio exacto postquam maturitatis testimonium nactus sum, Lipsiam me contuli, studiis philologicis operam daturus. Praeceptores mihi erant G. Curtius, Drobischius, Overbeckius, Ritschelius, Zarnckius, alii. Deinde ter sex mensibus praeterlapsis Georgiam Augustam profectus sum, ubi non solum scholas E. de Leutschio, Muelleri, Sauppii, Wachsmuthii vv. clcl. frequentavi, verum etiam seminarii regii sodalis ordinarius unum per annum fui, nec non a Muellero summa benevolentia in societatem, cui ille Iweinum interpretandum proponit, sum receptus. His omnibus viris optime de me meritis pio semper animo gratiam quam possum plurimam omne in tempus habebo.
